RECENSIO
NOTABILIUM
CONDUCTIONUM

IN JURE CÆSAREO,

Philosophia, Medicina, aliisque bonis Artibus, quæ Renovato Pisano Gymnasio coævæ reperiuntur,

VENETIS TYPIS EVULGATA

A

STEPHANO MARIA FABBRUCCIO

J. C. atque Academico Florentino

Ann. M. DCC. XXXXV.

PRosequor opportune dilatam eorum Professorum enumerationem, quos numquam satis laudata *Senioris Laurentii Medicei*, cognomento *Magnifici*, ceterorumque sagacissimorum Gymnasiarcarum providentia, in renascentem hunc Academicum Cætum transtulit; & chronologicum Conductionum ordinem exacte servanti, illi primum occurrunt celeberrimi Viri, quos in exiguo hoc Opere concludam, cujus proinde *Prima Pars*, editi nuper Opusculi, Additamenti loco erit.

§. I. *Baldus Bartolinius*, in hac novà serie, se se mihi inter primos offert; alias *Baldus Junior*, seu *Novellus* nuncupatus; neque propterea Baldus Junior, *Tertius quidam* a primò Baldo, de quo jam actum fuit, & ab hoc Secundo diversus, ut sibi *Gesnerianæ Bibliothecæ Editores amplificatoresque* suasisse videntur (*a*). *Perusinus*, & ipse, *Jureconsultus* fuit; & non *Honufrii Bartolini*

 filius,

(a) *Jos. Simler. & Jacob. Fris. in Edit. Tigur. An.* 1583.

filius, qui re vera *Patruus* ei fuit, adversus id, quod ab *Augustino Fontana*, *Carolo Cartario* (*a*) aliisque penes *Augustinum Oldoinum* traditum est (*b*); sed *Francisci Colæ*, idest *Francisci Nicolai* filius (*c*); quem idcirco non solum modo discrimen Familiæ, ac Seculi diversitas, sed & adjectio illa *Colæ* a *Francisco* senioris *Baldi* Patre, probe distinguit; a *Francisco*, inquam, quem exterus omnino Scriptor *Henricus Warthon* *Petrum* appellaverat, ut alibi, discrepando in hoc ab eo aliisque adnotavimus (*d*), & postmodum, edito etiam ejus Sigillo, *Dominicus M. Mannius* animadvertit (*e*).

Quod Anno, quem in præsentiarum prosequimur, *Millesimo Quadringen-*

(a) *Font. Biblioth. Legal. p.6. in Verb. Bartolin.* = *Cartar. in Syllab. Advoc. Concist. pag.* 300.

(b) *Athen. Perusin. pag.* 40.

(c) *Petr. Philip. Corn. Lib.* 4. *Conf.* 271. = *Guid. Pancir. de Clar. L. L. Interpret. Lib.* 2. *Cap.* 125. *n.* 193. = *Cæs. Chrispolt. Perus. August. Lib.* 3. *Verb. Bald. Novel.*

(d) *In Excurs. Historic. pag.* 45. *ibi seu, ut alii melius, ex Francisco &c.*

(e) *Tom.* 7. *Sig.* 7.

gentesimo Septuagesimo Tertio, ad profitendas Leges in Athenæo nostro, cum lauto *Florenorum* 1050., conductus fuerit *Bartolinius*, & Academica Monumenta testantur (*a*), & æque luculenter ex ipsius Operibus eruitur (*b*); in expositione enim *Text. in L. prima ff. solut. Matrim.* hæc habentur: *Repetitio D. Baldi de Bartholinis composita Pisis An.* 1475., *Reformationis verò Studii, & suæ ibi Conductionis, Anno Secundo.*

Quamvis Annus, ac locus, e converso, desit in *Repetitione Text. in L. Si constante* 24. *ff. eod. Tit.* (*c*), tamen, ob materiæ cohærentiam, receptumque morem inter *Vespertinas Ordinarias Materias*, hic enucleandi materias *Dotium*, probabile admodum est, eam quoque materiam *Pisis* explicuisse; eoque verosimilius, quod in uberiore Tractatu, quem *de Dote dotatisque mulieribus & earum Privilegiis* adornavit, in principio sic adnotatur (*d*): *Tractatus &c. ceptus in Academiâ Pisanâ, & finitus*

A 3 *in*

[a] *Memor. Archiv. Florent. Reformat, sub d. Anno* 1473. — *Lib.* 2. *Doct. p.* 31.
[b] *Tom.* 3. *Repet. Jur. Civil. Edit. Lugdun. An.* 1553. *pag.* 57.
[c] *D. Tom.* 3. *pag.* 152.
[d] *Tom.* 10. *Tract. Diverf. pag.* 115.

in Studio Perusino cum a Pontifice, e postLiminio esset revocatus circa An. Dom. 1479.

Ordinarias etiam alias *de Sero* materias hic enucleasse minime dubito: E quibus prælo dignæ jam habitæ fuere *L. Cum filio* 11. *ff. de Legatis primo*, *L. prima*, *L. Eadem* 4. §. *Cato ff. de Verb. Obligat. cum aliis nonnullis super Pandectis, & Codice elucubratis* (*a*).

Præludium ipsius Rubricæ, prout jacet, referre libet, ut longe dilucidius hactenus enunciata comprobentur, simulque pateat unde nam initium sumpserit antiqua consuetudo eas materias explanandi, quas adhuc in Lyceo nostro explanamus. In Expositione itaque hujus utilissimæ Rubricæ, decurrente An. 1478., ita, nec ineleganter omnino præfatus est: *Cum superiori tempore, imminente Reformatione Almi Studii Pisani; quinctum jam agens Annum, ab Illustrissimo Florentinorum Dominio accersitus ad Lecturam Ordinariam Juris Civilis, eo loci conductus accederem, & per id tempus, Lectura Secundæ Partis Digesti Novi, secundum morem, cursumque*

(a) *Vol.* 4. *d. Edit. Lugdun. pag.* 66. = *Vol.* 6. *Repet. pag.* 112., & 267. = *Cæsar Chrispolt. Lib.* 3. *Perus. August. V. Bald. Novel.*

que studiorum Italiæ immineret, conveniens satis ac pulcherrimum fore duxi in Auspiciis illius Reformati Studii, nonnihil laboris assumere. Hanc igitur Rubricam de V. O. commentandam ac repetendam proposui &c. (*a*).

Romæ etiam versatum *Baldum* hunc *Juniorem*, nempe *Bartholinium*, atque in eâ celeberrima Urbe, *Concistorialis Advocati* munus obiisse, *Pancirolius* idem, atque *Cartarius* memoriæ prodiderunt. Cum autem *Pisis* immoraretur, Ecclesiasticæ vitæ mancipatum fuisse; aut saltem eâ veste indutum, exinde conjicere posset quis, quod in Solemni Doctoratus Inauguratione *Rever. in Christo Patris Antonii de Patiis Episcopi Sarniensis* (*b*), pro absente adhuc Archiepiscopo, Pontificio Cæsareoque Cancellario, Extraordinarias vices gesserit. Sed esto hodierna hæc consuetudo sit, nihil implicat Laicum tale munus, ex Delegatione, nonnumquam obire. Matrimonio junctum fuisse tunc temporis, aut saltem antea, ex eo evidenter eruitur, quod de Legitimo ipsius *Filio Mariano*, postmodum Sacri Palatii Auditore, sermo sit apud coævum ejusdem

(a) *Tom. 6. dd. Tractat. pag. 9.*
(b) *Lib. 1. Doctor. Archiep. Pisan. Archiv.*

Baldi collegam præstantissimum, *Bartholomæum Soccinum*, qui fautorem cujusdam opinionis suæ *Marianum* allegans, illustrem hanc cum Baldo relationem in ejus elogio prodit his verbis: *Prout eleganter conclusum est per insignem Doctorem Dominum Marianum Filium Excellentissimi Doctoris Domini Baldi, qui bene patrizat* [*a*].

De Conductione ipsius *Mariani*, *Domini Baldi de Perusio*, per Florentinæ Reipublicæ moderatores, curatoresque Gymnasii rite factâ, mentio fit in Rotulo Universitatis, cujus Exemplar habetur *in Quarto Academicarum Provisionum Codice* ad Annum 1490. Quem tamen *non advenisse* ibidem legitur [*b*]. *Marianum* quoque *Baldi Filium*, præter *Pancirolum*, *Jacobillum & Oldoinum*, nuncupat præallegatus *Cartarius* [*c*]: quamvis non desint qui *Marianum* ipsum Baldi *Fratrem* fuisse asserant ex sequenti Inscriptione, quæ refertur a *Jo: Baptista Cantalmajo* [*d*]: „ *Mariano Bartolino*

[a] *Lib.* 3. *Consil.* 2. *n.* 10.

[b] *Pag.* 134. *&* 218. *in Archiv. Flor. Refor.*

[c] *In Syllab. Advocat. Consistor. pag.* 304.

[d] *In Syntaxi S. Rot. Audit. &c. sub num.* CXLI. *pag.* 26.

„ *lino Baldi Junioris Fratri Perusino*
„ *Juris utriusque Consultissimo Rotæ Au-*
„ *ditori, qui Jus integerrime dixit, &*
„ *bis in Germaniam a Julio II. magnis*
„ *de rebus missus Pontificis jussu Na-*
„ *viterio extinctus. Vixit An. XLIV. Mens.*
„ *V. dies XVII. summo Bonorum, &*
„ *Curiæ dolore extinctus X. Septembris*
„ 1509.„ eamdemque, suâ ætate, Romæ ante Sacellum Sanctorum, in Ecclesiâ S. Mariæ supra Minervam, extitisse perhibet. Verum absurdam hanc opinionem inde natam suspicor, quod Litera *F.* in Manuscripto signata, quæ regulariter ad denotandos *Filios* adhibetur (*a*), pro *Fratre*, ob inscitiam sculptorum, vel Exscriptorum incuriam, sit intellecta.

Neque pariter, ad *Baldum ipsum* quod attinet, reticendum, quod & circa locum, ubi mors ipsius contigit, & circa tempus insigniter erratum fuit. *Pisis* eum objisse memoriæ prodidit *Jo: Albert. Fabricius* (*b*). Pro emortuali autem Anno, Annum 1428. subjecta hic Inscriptio designat. Erratum utrumque corrigendum venit ex iis, quæ e Perusinis

(a) *Valer. Prob. &c. de Notis &c.*

(b) *In Biblioth. Latin. Med. & Infim. ætat. Lib.* 2. *pag.* 444. *in Verb. Petrus Baldus &c.*

monumentis, profert Rerum Academicarum ejusdem Perusini Athenæi conditor insignis *Augustinus Oldoinus*, qui cum plerisque, certiorem Annum ejusdem obitus *Annum* 1490. designans *sub die* 28. *Aprilis*; & circa locum, *Perusinam Patriam Urbem* statuens, nos unâ eâdemque operâ edocet quânam ratione corrigenda sit sequens Inscriptio, quam, superiori præmonitione habitâ, refero prout Perusii legitur apud Servos B. M. V.

„ *Baldo Secundo Perusino J. U. C. FF.*
„ *Pientiss. F. Cur. probaveruntque. Vixit*
„ *Ann. LXXVI. Mens. IV. Dies VI. Obiit*
„ *MCCCCXXVIII. April.* (*Legendum*
„ *tamen* MCCCCXC. *Die XXVIII.*
„ *Aprilis*) *Interpres Utriusque Juris*,
„ *Ingens Orbis Gloria, Patriæ Decusque.*
„ *Hic Baldus jacet ille Bartholinus hui!*
„ *Baldum haud tegit Hoc, sed Ossa Bal-*
„ *di Marmor. Fama nitens volat super-*
„ *stes* = *Cælum Spiritus Innocens recur-*
„ *rit* = *Dic Lector Vale, & hinc rece-*
„ *de felix.* /

De summa, quæ in Illo fuit juris cognitione, notum est Elogium ...

Nemo, quod hunc latuit, scivit: si Jura Monarcham
Ferre queat, tanto Hic nomine dignus erat.

§. II. Quantum renascenti Gymnasio

ſſo, in aliis facultatibus, ex huc uſque commemoratis eximiis Profeſſoribus, utilitatis acceſſit & gloriæ, tantumdem acceſſit in Jure Civili, ex *Petro Philippo* de antiquiſſimâ nobiliſſimâque *Corneorum* Peruſinâ Familiâ: cui etiamſi a pleriſque aſſertum, Originis ex *Corneliâ Romanâ Gente*, decus ampliſſimum deforet (*a*), non deeſſet certe maximum ex hoc noſtro, atque ex aliis pene dixerim innumeris, qui vel ante, vel poſtea Togâ, armis, oſtro, præfulxerunt (*b*).

Adſcitus e Peruſino Gymnaſio in hunc noſtrum Ordinem procul dubio fuit *Petrus Philippus*, & honorifica ei Florenorum 950. ſtatuta merces An. Sal. 1473. (*c*). In afflictis tantum, ob inteſtinos tumultus, Patriæ ſuæ rebus, illinc abire, & per triennium circiter, apud nos morari eidem permiſſum (*d*), atque hujus anguſtiſſimi temporis decur-

(a) *Franc. Maturant. in Vit.* = *Ciatt. Hiſt. Peruſin.*

(b) *Hyaeint. Vinciol. Monum. Hiſtor. Peruſ. in Vit. Corn. Fulv. n.* 18. , *in Vit. Aſcan. n.* 24. *&c.*

(c) *Rotul. Reform. Flor. ſub d. An.* 1473. = *J. Fich. in Elog. d. Corn.*

(d) *Hieron. Ghilin. P.* 2. *Theatr.* = *Panc. L.* 2. *c.* 95. = *Fabric. L.* 15. *&c.*

su, illud e nostris monumentis indubitatum plane est, quod hic *Franciscum Soderinum*, postea *Cardinalem*, erudiit, ut patet ex officiosissimâ *Marsilii Ficini* Epistolâ ad ipsum *Petrum Philippum* datâ (*a*), in qua Ideam quamdam perfecti Jureconsulti in eo reveretur. Hic quoque auditorem habuit *Joannen Equitis ac Doctoris Othonis Niccolini filium*, ex Alumno nostro, atque Canonico Florentino, *Archiepiscopum Amalphitanum*; ejusdemque, in eâdem Dignitate, Vicarium, & jampridem in hac Universitate commilitonem *Jo: F. Agapiti de Ticciis de Castilione* (*b*); & quod An. 1476. inter ceteros Professores assedit, qui *Philippum Decium* ad Doctoratus Insignia promoverunt (*c*); aliisque deponendi Tyrocinii etiam ipse auctor fuerit, ut passim inde colligitur, ubi semper cum honorificâ illâ denominatione, *E Nobilibus de Corneo*, de eodem mentio habetur (*d*).

Docuit Idem post Ferrariæ; atque iterum

(a) *Lib.* 1. *Epist.* 101.

(b) *Lib.* 2. *Doctor. Archiep. Pisan. Tabular. p.* 49.

(c) *D. Lib.* 2. *Doct. pag.* 2.

(d) *Ibid. pag.* 38. 52. 65. 70. 79. *&c.*

rum in Patriam, jussu *Xysti IV.* Summi Pontificis revocatus, per plures annos edocendæ Juventuti sedulam operam impendit, ut unanimi calamo testantur *Chrispoltus*, *Ghilinus*, *Pancirolus*, *Borsettus*, aliique (*a*).

Ex quorum temporum designatione, plane consequitur, quod emortualis ejus Annus qui sub Anno 1462. a prælaudatis Scriptoribus, atque etiam a *Konigio*, & *Fichardo* signatur, cum superiori nostræ Conductionis Epochæ, & *Xysti Quarti* Gubernio pluribusque muneribus in Patriâ postea obitis, nequaquam aptetur, pro falso haberi debeat; & ipsius loco, *in Annum* 1494. *ac Septuagesimum tertium* ipsius ætatis, cum *Ludovico Jacobillo* rejiciendus veniat (*b*); præasserto autem Anno 1462. (omnium concessu, qui de *Jo: Petruccio de Monte Sperello* scripserunt) ejusdem egregii J. C. ac Perusini Professoris mors contigit (*c*), qui vel a duodecimo ætatis anno, quo Pe-

(a) *Cæs. Chrisp. Perus. August. Lib.* 3. = *Hieron. Ghilin. pag.* 2. *Theat.* = *Ferrant. Borset. Histor. Ferrar. Gymn. L.* 2. = *G. Pan. loc. præcit. &c.*

(b) *Jacob. in Catal. Script. Umbr.*

(c) *d. Chrisp. d. lib.* 3. = *J. Fich. in Vit. &c.*

Petrum Philippum in Legibus instituendum susceperat, perspectâ Juvenis egregiâ indole, perspicaci mente, illibatis moribus, incessante labore & industriâ, utile sibi duxit cum amplâ dote Filiam ei, debito tempore uxorem ducendam, despondere (*a*); ex qua, si longius superstes amantissimus Præceptor ac Socer extitisset, illustrem prosapiam trium masculorum, totidemque fœminarum, potuisset summâ cum animi voluptate aspicere (*b*).

In lucem protulit ipse *Corneus* etiam ingenii sui fœtus non Vulgares: inter quos, ex his quæ Theoricen spectant, sunt *Commentaria in singulas Digestorum partes*, non illico detecta, neque iccirco in primâ Editione suorum Operum publici Juris facta; *Commentaria* itidem in *Primam*, & *Secundam Codicis Partem* Typis Lugdunensibus evulgata; e quibus, præ cæteris insignis *Repetitio Textus in Auth. Sacramenta Puberum Cod. Si adversus Venditionem &c. in L. Si pascenda pecora* 8. *Cod. de Pactis*, in-

(a) *Valentin. Forster. Hist. Jur. Civ. Cap.* 35. *n.* 4.
(b) *Paul. Freher. in Theatr. Vir. Illustr. P.* 2. *pag.* 796. *&c.*

in magno etiam Opere *Repetitionum* comprehensa (*a*).

E Forensibus autem *Operibus*, excerpta de pluribus, quæ ad Consulendum nimis fortasse facilis, & in gratiam Consanguineorum Amicorumque ultroneus & inemptus Patronus exaravit, *Quotuor Voluminibus* inclusa, non sine Pragmaticorum utilitate, circumferuntur (*b*).

§. *III. Paulus Cospius Bononiensis*, eâ ætate conductus, quâ nonnisi præstantes doctrinâ Viri, ad Leges edocendas conducebantur, initio nimirum renascentis Gymnasii, An. 1473., cum Annuo Stipendio Florentinorum 206. (*c*), post breve temporis intervallum, Academiæ nostræ triste sui desiderium reliquit; Anno etenim 1475. paulo post biennium suæ Professionis, occubuit (*d*). Interim tamen cum celeberrimis Antecessoribus, nem-

---

(a) *Volum. VII. Repet. Civil. pag.* 166. *&* 287.

(b) *Forster. Borset. Chrispolt. Loc. præalleg.* = *Georg. Matth. Konig. in Bibl. Vet. & Nov.* = *Jo: Bapt. Gilet. in Ind. Lib. Leg. pag.* 58. *August. Fontan. in Biblioth. &c.*

(c) *Memorial. Reform. Florent. sub d. An.* 1473.

(d) *Not. Marg. in Rotul. d.* 1475.

nempe *Petro Philippo Corneo*, *Baldo Bartolinio*, *Andrea de Castilionio &c.*, multifariam utilem se se Lyceo nostro præbuit (*a*). Æmulus in hoc Avitarum Virtutum *Pauli* illius *Cospi* Decretorum Doctoris, de cujus in Canonicâ Facultate Commentariis; de cujus muneribus ac testamento meminit ejus æqualis, eximius quondam Collega noster *Jo: Andreæ* (*b*), atque ex eo *P. Anton. Orlandius* (*c*), *Jo: Ant. Bumald.* (*d*), & ante ipsos *Nicol. Pasqual. Alidos* (*e*), quorum postremus & Familiarem hanc Inscriptionem, ex Ecclesiâ S. Jo: in Monte, profert: *D. Jacobus Canonicus S. Victoris Prior, & D. Paulus Legum Doctor, ex D. Lazarin. de Cospis nati Sepulchrum hoc condidere.*

De pluribus hujus Cognominis generosis Militibus, partim Bononiensibus; partim vero Senensibus, Equestris Ordinis

(a) *Lib. II. Doctor pag. 90. in Tabular. Archiep. Pis.*

(b) *De Jo: Andr. actum in Excurs. Histor.* §. 4.

(c) *Tractat. de Scriptorib. Bononiens. pag.* 225.

(d) *In Mineral. Bononiens. pag.* 185.

(e) *De Doctor. Bonon. Part. p. pag.* 189.

nis D. Stephani Illuſtria Monumenta loquuntur (*a*). Urbana quoque, & Aulica Florentinæ hujus noſtræ Ditionis Munia, cum laude, oſtentant *Antonium Mariam Cóſpium* eruditione multiplici refertiſſimum Virum, Magni Etruriæ Ducis a Secretis; cujus e Typis primum Florentinis, deinde Venetis per Eruditorum manus circumfertur Opus, cui Titulus *Il Giudice Criminaliſta*.

§. IV. In cenſu probatiſſimorum Virorum, in reparato dudum Athenæo, Jus Civile profitentium, non deeſt *Antonius Bolognetti*, Petri filius, & ipſe *Bononienſis*, omiſſus in Serie Infelicium Literatorum a *Pierio Valeriano*, & a *Cornelio Tollio*, certe non omittendus. Poſtquam enim vel ab Anno 1457. Bononienſium Judicum Collegium, præſentiâ ſuâ doctrinâque cohonoſtaverat; poſtquam hic intra Ordinariorum numerum cum Floren. 495., libentiſſime exceptus detentuſque, ei plurimum decoris addidit & gloriæ (*b*), in Patrium Archigymnaſium, honeſtiſſimis conditionibus revocatus, ob inexpectatum proximæ Turris caſum, una cum Domo ac pleriſque

(a) *Ludovic. Arald. Ital. Not. pag.* 162. 163. 199. 202.

(b) *Memor. Arch. Refor. ſub d.* 1473.

que Domesticis, ruinis obrutus miserrime jacuit Anno 1484., die Apirilis 3. (*a*). Funestissimum eventum commiserati Academiæ & Urbis Moderatores, afflictissimos ejus heredes, annuo Ipsius stipendio Librarum Quingentarum, per Quinquennium, atque Exemptione quadam honorificâ donatos voluerunt (*b*). Subsequentis pariter Seculi decursu mærens adhuc Posteritas inclitæ ejus memoriæ, aliisque spectabilis Familiæ suæ Viris, in Ecclesiâ S. Joannis in Monte Monumentum hoc ære proprio ponendum curarunt: „ *D. O. M. Antonio* „ *Bolognetto Jur. Cons. quem Turris super ædes repente lapsa misera quondam* „ *morte oppressit, & Jacobo Mariæ Filio* „ *integerrimo, Jacob. M. Eques, & Hieron. Camil. Filii Patri Avo & Proavo* „ *BB. MM. An. MDLXXII.*

§. *V.* Duo se nobis nunc Jurisprudentiæ lumina produnt, in Duobus *Tristani Decij*, sive *de Dexio* Filiis, *Lancellotto* nimirum, atque *Philippo*.

Tristanus genitor, qui a Pago Decij, seu de Dexio Mediolanensis Ditionis, originem trahens, inter Nobiles Mediola-

(a) *Alidos. Doctor. Bonon. part. p. pag.* 13.

(b) *Idem ibid.*

lanenses Cives, & inter illustres Aulicos *Francisci Sfortiæ Mediolanensium Ducis*, locum obtinebat, primum ex his, nempe *Lancellottum*, Legum studiis; alterum vero, nempe *Philippum*, Aulæ destinarat: quam ob rem utrique peculiare Educationis genus statuerat, utrumque postmodum inopinato, eodem vitæ, studiorum, ac laudis curriculo insistentem, non sine ingenti animi voluptate, conspexit (*a*).

Prior, sub *Alexandro Tartagnio Imolensi* Ferrariæ tunc temporis Jus Civile profitente, sibi Legum uberem cognitionem comparavit (*b*): quam deinde Jurisconsultus renunciatus, *Ticini* profiteri cæpit auspicatissime.

Hujus famâ illecti Florentinæ Reipublicæ Proceres, instaurando *Pisano Gymnasio* præfecti, vel ab initio, Anno nimirum 1473., in Album Juris Civilis Professorum, e Papiensi Lyceo profectum, cum stipendio Florenorum 385. exceperunt, atque *Andreæ de Castilione Florentino*, tunc pariter primum conducto, Collegam dederunt (*c*).

Phi-

(a) *Guid. Pancirol. Lib. 2. de Clar. &c. cap. 135. num. 210.*

(b) *Ferrant. Borset. Histor. Alm. Ferrar. Gymnas. p. 2. Lib. 1. pag. 29.*

(c) *Lib. inscript. Memor. in Arch. Reformat. sub d. An. 1473.*

Philippo Fratre secum *Pisas* adducto, multifariam de Academiâ nostrâ cæpit benemereri; non tam enim hunc sublimis ingenii Juvenem, in magnum Jurisperitum brevi evasurum, huc transtulit, quam ipsemet, ad se se quantum adtinet, quotidie magis doctrinæ laude inclaruit; quare Stipendio sensim aliorum 115. donatus, enucleando etiam Juri Pontificio, aliquando adhibitus invenitur (*a*): atque in unoquoque munere, vix ulli commilitonum invisus; & ex his *Paulo Stagnato J. C. Siculo* acceptissimus (*b*).

Post plures annos, quos hic docendo, disputando, præclaros Alumnos ad Insignia Doctoratus promovendo, (inter quos peculiari commemoratione dignus *Matthæus Ser Lapi Maffei de S. Geminiano* [*c*]), aliaque, quæ sui muneris fuerant insigniter obeundo insumpsit; occasione translationis hujus Gymnasii in Pistoriensem primum, deinde in Pratensem Urbem, morem gessit Academicis Moderatoribus eo proficiscendo, profitendoque, ut colligere etiam datur ex Originali Ipsius Epistolá ad spe-

(a) *D. Lib. Refor. An.* 1480.
(b) *Franc. Boez. in Vit. Philip. Dec.*
(c) *Lib.* 2. *Doctor. Archiep. C. pag.* 102.

ſpectabilem Virum *Laurentium Unitum Piſanum*, data ſub die 4. Aprilis, ex *Pratenſi Gymnaſio An.* 1482., quæ penes nobilem Civem *Joſephum Pinium* aſſervatur.

Stipendiis hiſce emeritis, in Ticinenſe Studium revocatus, cum eodem communis benevolentiæ atque exiſtimationis fœnore, Togatæ Militiæ nomen dedit [*a*]: adeo ut tanquam ſingulare quid, de eo memoriæ proditum ſit quod unus *Curtius Junior* repertus ſit, qui *Eidem* obtrectare ſit auſus (*b*).

Opera, quæ Ipſimet referuntur accepta, nec multa ſunt, nec omnia publici juris facta, & hæc fere ſunt. *Notul. in* 2. *Cod. part. Philip. Corn.* [*c*] *In nonnul. Jur. Capit.* (*d*) *Addit. ad Socin. Conſult. Quadrageſ.* (*e*) *Orat. de Laud. Scient.* (*f*) *Epiſt. ad Galeot. Vicecom.*

(a) *G. Pancir. d. l.* = *Ant. Gatt. Hiſtor. Ticin. Gymn.*

(b) *M. Mant. in Epiſt. Vir. Illuſtr. num.* 89.

(c) *Bibliop. ad Lector. in* 2. *Edit. Oper. d. Cornei.*

(d) *Præalleg. Mant. & Pancir. ibid.*

(e) *M. Ant. Peregrin. de Fideicom. Art.* 25. *n.* 22.

(f) *Bernard. Montf. in Biblioth. Bibliothecar. Tom.* 2. *in V. Lanc. D.*

cecom. & *Petr. Candid. Decembr.* [*a*]. Communi demum fato cessit An. 1500. (*b*), humatus in Ecclesia Papiensi D. Jacobi Minorum Observantium, cum brevissimo simplicissimoque hoc Epitaphio: *Hic jacet Lancellottus Decius in Ticinensi Gymnasio Interpres* [*c*], Deque Ipso, ac Fratre Philippo, tale extat *Matth. Gribaldi Mophæ* judicium.

Ætas me Fratri, Fratrem mihi
Gloria præfert;
At germanus Amor nos facit esse
pares (*d*).

§. *VI. A Seniore Decio* ad *Juniorem*, nempe *Philippum*, An. 1454. Mediolani natum (*e*), cum ampla ac prædivite Materiæ accessione, modo progredimur. Communem utique Patrem cum *Lancellotto* nactus, sed præstantiorem indo-

(a) *Id. Montfauc. Tom.* 2. *pag.* 763.

(b) *Catel. Cot. in Recens. Jur. Interpr.* ═ *Petr. Bayl. Dict. Histor. Crit. Tom.* 2. *in V. Decius not. B.*

[c] *Id. Pancir. ibid.* ═ *Forster. Hist. J. C. Lib.* 3. *Cap.* 36. *n.* 6.

[d] *In Edit. Lips. An.* 1721. *pag.* 533. *apud Clar. Panc.*

[e] *Franc. Boez. in Vit.* ═ *Fabric. Bibl. Med. & Infim. Ætat. Lib.* 4. *pag.* 52.

dolem, liberaliorem etiam educationem, qualem ex destinatione Genitoris, Aulicum futurum decebat, sortitus, occasione vitandæ Pestis, Patriam Urbem affligantis, Annum agens decimum septimum, *Ticinum*, ad Fratrem profectus, cæpit ibi & ipse Jurisprudentiæ operam dare; & adeo sedulam atque utilem, ut vix jacto, sub *Jasone Maino*, Civilium Institutionum tirocinio; & nonnullis ex Ordinariis materiis, sub *Jacobo Puteo*, delibatis, propugnando Theses, præclarum ingenii sui præcocis specimen potuerit exhibere (*a*). Contigerunt hæc ante An. 1473. quo *Philippus* Lancellottum Fratrem Pisis Juris Cæsarei Interpretem designatum sequutus, primo sub *Baldo Novello*, *Philippo Corneo*, *Hieronymo Zannettinio* &c. discipulum egit, nulli studiosissimi Adolescentis laude concedentem, nisi forsan insigni Alumno *Petro de Vincentis Romano*, postea sub *Innocentio VIII.* Pontificiæ Cameræ Auditori (*b*); cum quo pro-

[a] *Henric. Wart. in Append. ad Cav. Sec. Reform. pag.* 135. = *Aubert. Mir. in Auct. de Script. Ecclesiast. pag.* 139.

[b] *Boez. ibid.* = *Jo: B. Cantalmag. in Syntax. Audit. S. Rot. pag.* 28.

propterea ingens illi æmulatio, ac nusquam intermissa contentio [*a*].

Completo autem *Pisis*, studiorum suorum triennali cursu, Duce & Auspice *Puccio de Puccis Patritio Florentino*, tunc temporis Jura in eadem Academia profitente, iisdemque eximiis Præceptoribus, de quibus supra, Promotoribus, Insignia Doctoratus suscepit An. 1476. mense Novembris: (*b*) quo potissimum tempore Pisani Gymnasii habenas moderabatur *Magnific. Dom. Antonius de S. Maria de Monteserrato Vicerector Amplissimus*; nec nisi perexiguum tempus effluxit, quod curante eodem *Puccio*, qui penes *Laurentium Medicem* plurimum gratia & auctoritate valebat, in locum *Pauli Stagnati Siculi*, publico docendarum Institutionum Civilium munere se se abdicantis, suffectus fuit Philippus noster *Decius* (*c*) adolescens adhuc duorum & viginti annorum; cum tenui tamen stipendio Florenorum triginta, ad quadraginta, subsequenti Anno adaucto [*d*].

In-

[a] *Guid. Panc. d. L.* 2. *Cap.* 135.

[b] *Lib.* 2. *Doctor. in Archiep. Pisan. Arch. pag.* 2.

[c] *Pancir. ibid. num.* CCXII.

[d] *Memor. Offic. Refor. sub An.* 1476. = 77. = *G. Panç. Lib.* 2. *c.* 135.

Incredibile ferme est quam longe lateque in hac Gloriæ Palestra, in quam recenter quoque translatus fuerat *Donatus Giannerinius Arretinus* (*a*) se effuderit ingens æmulationis spiritus, quo maxime ciebatur. Rem paucis absolvero si dixero, ea sibi contentione, popularem utique Studentium existimationem atque favorem conciliasse; Collegarum autem omnium aversionem, atque Superiorum indignationem; quibus experientiâ probe compertum nimiam æmulationem, in iram sensim rabiemque degenerare. Contra ferocienti & exultanti ejus animo insederat Dionysianum illud *Oderint dum metuant*; hinc e numero collegarum vix repertus unus, nempe *Franciscus Soderinius*, postea Volaterranus Episcopus, & gradatim Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, cujus potentiam æque ac doctrinam reveritus, existimationi pepercerit (*b*).

Mutarunt interim, invalescente metu Pestis An. 1479. Pisani Professores sedem; at non ille morem; non reliqui

(a) *D. Lib. Ref. sub An.* 1474.

(b) *D. Franc. Boez. in Vit.* = *V. Forster. Lib.* 3. *cap.* 39. = *Ignat. Ursulin. part.* 2. *pag.* 276. = *Barth. Baph. in Orat. de Felic. Urb. Flor.*

conditionem hanc duram. Ex publico si quidem Academicorum Officialium Decreto, de quo opportunius alibi, Studentium incolumitati prospectum fuit jubendo, Studium in *Pistoriensem Urbem* transferri, donec & quousque Pestis ipsa desæviret.

Non renuit *Decius* cum Studio peregrinari; immo in novo hoc Studiorum Domicilio, novo ostentandi ingenii ardore sic exarsit, ut opportuno quodam vigilantissimi Rectoris *Raynerij Guicciardinij*, paulo ante quam Academicos Fasces deponeret, pænali Edicto coercendus fuerit, ne, ut illi mos fuerat, ad æmulationem, Publicas quasdam disputationes, per octo dies propugnandas, indiceret (*a*).

Post reditum quoque, non destitit hunc, aut illum lacessere, *Felino* potissimum *Sandeo* adeo infestus, ut posterior hic, ne diutius ejus vexationi subjaceret, ex abrupto, Pisis abeundum sibi duxerit, ac Romæ in Clientelam *Innocentij VIII.* se receperit, ut in eo fusius adnotabitur.

Objurgatus ob hæc *Decius* acriter; & recurrenti Conductionum tempore, in nova Professorum designatione omissus, taci-

(a) *Id. Pancir. de Clar. Lib.* 2. *Cap.* 135. *Num.* 213. §. *Contigit &c.*

tacitam quidem, licet æquivocam dimisſionem inſolenter interpretatus, non reſipiſcendi, ſed inſoleſcendi occaſionem aucupatus, Senenſibus illico pro lautiori mercede fidem obſtrinxit; & vix, per breve temporis intervallum, qua lenitate *Laurentij Medicei*, Principis in Republicâ Viri, qua rigore *Antonii Bernardi Miniati Dini*, priorem locum inter Curatores Studij eo tempore occupantis, cohiberi potuit, quominus Patriciam Senenſem Urbem adiret.

Senis itaque primum Canonicam, deinde Civilem Cathedram, majori quam reliqui omnes honorario, cum plauſu adſcendit; ibique ſtetit donec hujus novi Muneris pertæſus, tranſacto vix primo Conductionis biennio, Romam ſibi proficiſcendum duxit (*a*).

Quid Romæ faciat mentiri neſcius? Minime tamen ex ingenita quadam ad aſſentationes aulicas averſione, repetendus ſuus ex Urbe diſceſſus, & ad Senenſe Magiſterium reditus; verum cum inſtigante Epiſcopo Alexandrino; Promotore autem apud *Innocentium Octavum*, Aſcanio Sfortia Vicecomite, Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cancellario, Auditoris Rotæ munus obiturus, Romam perrexerit:

(a) *Boez. in Vit.* ⥫ *Bayl. D. t.* 2. *pag. recent. edit.* 260.

xerit (*a*) : quale Munus, Ordinibus Sacris obstrictum hominem, videbatur efflagitare; & huic voto mancipatum eum nollent Tristanus genitor atque Lancellotus frater, qui in eo conservandæ Familiæ spem unicam reposuerant, iis maxime curantibus, etiam Romæ, splendidoque Officio, cui fuerat destinatus, valedixit; & primo quidem ad nuperrime relictam Senensem Cathedram, deinde vero curante *Felino* interim in ipsius amicitiam reverso, ad Pisanam, cum 450. Florenorum stipendio, rediit Vespertinus Juris Pontificij Interpres Ordinarius [*b*].

Sed en novum inter illustres Alphæos Professores tumultum, probantes utique *Decii* doctrinam, sed ejusdem Consortium, seu, ut vulgo dicimus, Concurrentiam aversantes. En novas cum iis, quibus invitis Collega datus, & maxime cum *Antonio Cocchio Florentino*, in Circularibus Disputationibus, indecentissimas concertationes!

Non multò post, Studium ipsum, ob ex-

(a) *Boez. Bayl.* = *Cantalmag. in d. Syntax. pag.* 28. = *Eminent. de Luc. in Disc.* 32. *de Judic. N. III.*

(b) *Memor. Reform. Florent. Ann.* 1489.

excutientes Pisanos, sub auspiciis *Caroli VIII. Gallorum Regis*, Florentinorum Jugum, *Pratum* denuo translatum fuit: quo pariter *Decius* concessit; immo ibidem *Hieronymum Calvum Pratensem* ad Doctoratus Lauream in Jure Civili promovit: cujus Diplomatis exemplum, ex dono præstantissimi quondam mei Discipuli, penes me, alias fortassis illud editurum, adservatur. Consuluit quoque pluries, dum ibi moram traheret, ut ex Consiliorum Tomo primo *Consilio* 13. 25. 121. 124. innotescit, e quibus certe celeberrimum, & ad rem nostram opportunum, est *Septuagesimum*, quo Pisanis Professoribus, cum desitum fuit *Legi*, ob adventum *Caroli Octavi*, Salarium deberi defendit.

Florentiam quoque advenit *Decius*, huc Pisana Academia adveniente, atque hic, ipsomet Teste, constat *Rubricam de Rebus Creditis* publice enucleasse. Plures quoque Consultationes, sub An. 1496. & sequentibus, edidisse, & præcipue *Undecimam* Anno quoque 1500. materiam *de Bonorum Possessionibus* illustrandam suscepisse, quam, post plures annos, Valentiæ absolvit, caussatus quominus Florentiæ perficeret, *adventum Cæsaris Borgiæ Valentini Ducis, qui hostiliter Florentinos oppugnare conabatur*, ut is memoriæ prodidit in *Leg.* 2. *Cod.*

de Bonorum Possessione secundum Tabulas. Florentiæ pariter id ei honorificum contigisse compertum est, ut *Franciscum Gucciardinium* in magnum quandoque Juris Doctorem, Historicum, atque Politicum evasurum, erudiret, & J. C. insignibus exornaret (*a*).

Sed jam, opportuno Pontificiarum Decimarum subsidio, juxta temporariam Indulti concessionem, deficiente, & Is & alij plerique, paulatim de discessu cogitarunt; nec ægre tandem, cum pacto revertendi, ubi oporteret, veniam impetrarunt.

Plane *Decius* Canonicam Cathedram moderaturus, sub An. 1501. Calend. Mart., ut in dicta vita habetur, *Patavium* concessit, cum Stipendio 600. Aureorum in Auro, ubi per Quadriennium circiter versatus, *Albertum de Bagarottis*, vulgo, *Bertuccium*, atque *Antonium Franciscum de Doctoribus*, æmulatores acerrimos expertus fuit: quos tamen aliosque Doctrinæ famâ superavit (*b*).

Hac nominis celebritate motus illectusque

[a] *Id Dec. in Cons.* 326. = *P. Niceron. Tom.* 17. *Memoir. &c.*

[b] *Jac. Philip. Tomasin. Comment. Gymnas. Patav. lib.* 2. *cap.* 3. *&* 4.

que *Ludovicus Gallorum Rex XII.* pro Ticinensi Universitate, sibi tunc temporis cum Mediolanensi Urbe subdita, primo quidem honorificentissimis epistolis, dein ore nuncii sui, a Venetis, cum iisdem conditionibus, efflagitavit: Cui cum Legem conductionis nondum expletæ, Senatus objiceret, apud Senatum ipsum precibus instandum Regi fuit, ut eo potiretur. Ticinum itaque recens Theatrum fuit, ubi fere per septemnium, Philippi virtus eminuit (*a*); nisi potius martialem Campum adpellare libeat, ubi potissimum cum *Jasone Mayno*, literariæ primum contentiones exercitæ sunt, paulatim in convicia, rixas, realesque injurias degeneratæ (*b*).

Optandum *Decio* fuisset, non ex hac utique solum, sed graviore de causa, Papiæ lares minime posuisse; non spectasset enim; aut fugitivus non audisset universæ supellectilis suæ rapinam; & parum abfuit quin unicæ filiæ suæ decennis internecionem auscultaret. Parendum

(a) *Anton. Gat. Hist. Ticin. Gymnas.* = *Petr. Bayl. d. t. 2. pag.* 259. *&c.*

(b) *Jan. Vinc. Gravin. de Ortu &c. n.* CLXVIII. *in Verb. Jas. Main.* = *Hyacint. Vinciol. in Ind. Celeb. J. C. in Verb. Dec. Philip.*

dum ipsi siquidem fuit ejusdem potentissimis Regis jussibus; & adversus Pontificem *Julium II.* in arduâ controversiâ, convocandum ne foret adversus prædictum Pontificem, Concilium Generale; & in dissidio Cardinalium, num ipsis, uti singulis, tale jus competeret, pro affirmativa respondit, ea doctissima Consultatione, ut ut merito interdictâ, pro Rege elaboratâ, quæ una cum Sermone pro justificatione Concilii penes *Goldastum* legitur (*a*), quæque in Consiliorum volumine communiter desideratur. Cumque, præter spem evenisset, ut neque *Pisis*, ubi primo tentatum, neque *Mediolani*, quo subinde translatum; (*b*) nec alibi tutus Concilio locus fuerit, quaquaversum animoso Pontifice, nedum Ecclesiasticis Censuris, sed materialibus armis irruente, primis, nempe Canonicis illaqueatus remansit *Decius*; & secundis, nempe justissimo ultore gladio, nisi in Astensem Urbem, mox in Lugdunensem clam evasisset; verosimiliter oppressus jacuisset: sicut Helvetiis irruentibus, ejus Papiensis domus direpta; & vix

(a) *Tom. 2. Monarch. S. Rom. Imper.* = *Burchard. Goth. Struv. Bibl. Jur. Select. Cap.*14. = *Richer. lib.*4. *Histor. Concil. &c.*
(b) *Paul. Jov. Hist. lib. X. &c.*

& vix pretio Ducentorum Ducatorum, incolumitas præmemoratæ Filiæ, ut nonnulli perhibent, *naturalis* (*a*) a Monialibus, quarum educationi commissa fuerat, redempta fuit.

In Rege *Ludovico* commiserationem tam graves ærumnæ *Decii* excitarunt; quamobrem in Delphinali, ut ajunt, parlamento, mox in Gratianopolitano, Senator constitutus; & subinde Valentiæ, circa annum 1513., cum amplissimo stipendio, nemini antea ibi concesso, *Francorum mille*, Publicus Professor honorificentissime designatus, omnium spei & expectationi, non tam docendo, quam in Foro causas propugnando, cumulatissime satisfecit (*b*).

Neque minorem commiserationem in successore *Julii*, videlicet *Leone X.*, qui propterea æquiore animo, prout olim Decii discipulum, & tunc universalem Patrem decebat, inevitabilem in docto quidem, sed inermi Jurisconsulto, obtemperandi Regiæ Potestati, necessitatem animadvertens; Scripturæ etiam ipsius

B 5 mo-

(a) *Panc. dict. Cap.* 135. = *Petr. Bayl. præal. loc.*

(b) *Vid. Cons.* 205., & 222. *in Dat. d. An.* 1513. = *Supplend. Bayl. in d. Tom.* 2. *pag.* 261. &c.

moderationem; defectum quoque Monitorii ad excommunicationem incurrendam, quem Decius allegabat; aliaque id genus justæ defensionis adminicula, ad cautelam nihilominus ab omni vinculo absolvit; immo ad profitendum Romæ invitavit, eo libenter concessurum, nisi Regi molestiam foret allaturus.

Ut Regię pariter indignationi *Francisci I.* se se subtraheret (*a*) distulit aliquantulum initam cum *Ser Leonardo de Vincio*, in id negotii Valentiam usque misso, nomine Reipublicæ Florentinæ, de reditu conventionem implere; atque interim, sibi suisque fatale, *Ticinum* redire coactus, ibi ægre constitit donec superventum *Maximiliani Cæsaris*, & moram quoque constitutæ solutionis caussatus; ad Florentinos tandem rediit (*b*).

Voti igitur Florentina Republica compos effecta, eximium Virum, gradatim ab Octingentis, ad Honorarium Florenorum 1500. Aureorum in Auro evectum, numquam aliò sivit abire; nisi in **Prælaud.** Senensem Urbem, ubi prædictam Filiam, ob oris venustatem, canendi saliendique peritiam, a pluribus olim deperitam, & ob id etiam penes non-

(a) *Petr. Bayl. d. l.*
(b) *Franc. Boez. in præal. loc.*

nonnullos impudicitiæ suspectam, Patricio Senensi in Matrimonio collocaverat (*a*), & ubi (non vero *Pisis*, ut memoriæ prodidit *Aubert. Myræus*,) Octogenario major, & obliviosus antea redditus, An. 1535. die 13. Octobris interiit (*b*).

Munia legendi ab ipso, in diversis Academiis, obita, prodit insigne Marmoreum Monumentum, quod sibi adhuc sospes, *in Campo Sancto Pisanæ Urbis* erigendum curavit scalpro celeberrimi *Artificis Stagii Petrasanctensis*; in quo e Senis traslatum, *Decii* cadaver jacet, cum hac, non satis eruditis probata inscriptione (*c*).

„ *Philippus Decius, sive de Dexio, Mediolanensis, Jurisconsultus celebri famâ notissimus, Cum primum locum Studii in Jure Canonico, vel Civili tenuisset Pisis, Senis, Florentiæ, Paduæ, & Papiæ & demum ultra Montes in Gallia,*

B 6 „ *Re-*

(a) *Pancir. ubi supr.*

(b) *Paul. Freher. Theatr. Vir. &c. Tom. 2. p. 2. Sect. 4. &c.*

(c) *Paul. Freher. Tom. 2. p. 2. Sect. 4 cum ibi relat. — Jos. Martin. in Theatr Basil. Pis. pag. 115.*

„ *Revocatus in Italiam ab Excelsa*
„ *Florentinorum Republica, postea-*
„ *quam Stipendium Mille Quingen-*
„ *torum Aureorum in Auro pro Le-*
„ *ctura, confectus fuisset, de Morte*
„ *cogitans, Hoc Sepulchrum sibi fa-*
„ *bricari curavit, ne Posteris suis*
„ *crederet.*

Uberem autem & excellentem ipsius Doctrinam, nedum commendant *Æmilius Ferrettus* (*a*), *Petrus Delphinus* (*b*), *Hieronym. Perbon.* (*c*) *&c.*; sed ipsa per se, Universæ Literariæ Reipublicæ, testatum faciunt pluries recusa ejusdem Opera, quorum summarium Catalogum hic exhibeo, ex diffusiore, qui habetur in Magnifico Opere, studio celebris *Philippi Argelati*, nuperrime edito, cui Titulus *Biblioth. Mediolan.* (*d*).

Commentar. in Decretal. = *Comment. in Digest. Veter. & Codic.* = *Consil. Tom. IV.* = *Apolog. IV. pro Pis. Concil.* = *Epist. Divers. ap. præd. Boez.* = *Repet. super Tit. Decretal. de Privileg.*

(a) *In Tract. de Mora.*
(b) *Lib. 12. Epist. 71.*
(c) *Lib. 4. Epist. 6.*
(d) *Tom. I. pag. 549.*

vileg. seorsim edita, & primum Publici Juris facta, & SS. Mediolan. Archiep. ac S. R. E. Card. *Carolo Borromeo dicata à T. Medda &c.*

Horum Operum nonnulla, *Pisis* elaborasse deprehendo veluti *Comment. ad Rub. & Cap.* 1. *& Cap. in Præsentia de Probat., Cap.* 1. *de Judic.* (*a*) *Tractat. de Reg. Jur.*, extra ordinem, in gratiam quoque discipulorum, in eadem Pisana Urbe exaravit (*b*). Item super *Tit. Cod. de Edendo*; *de Pact. & Transact.*, *de Collation.* (*c*) Ex Consultationibus quoque consilium 20. & 27. *Consil.* 65. *&* 69. *Consil.* 94. *&* 129. *Consil.* 266. *&* 271. *Consil.* 388. *Consil.* 429. 526. 542. & 543. & 560., e Pisana eadem Civitate, subscriptionem exhibent, quamvis ægre ac difficulter in causis, quæ inter Pisanos Cives occurrebant, scribere consueverit, ut in *præd. Consilio* 429. proprio calamo, testatur (*d*).

Docendi methodus, adeo in ejus scriptis, quæ ad Theorias pertinent, emi-

nere

[a] *In Edit. Lugd. An.* 1536.
[b] *In fin. d. Opusc. Edit. Venet. in* 8. *An.* 1585.
[c] *Edit. Venet. An.* 1608.
[d] *In Edit. Venet. An.* 1608.

nere visa est, ut in primâ ex Gymnasii Pisani Reformationibus, a *Cosmo I. Mediceo* factâ, sub §. XI. *Ordo Decii* servari in Scholiis jussus fuerit.

Neque minus illustris, in memoria posterorum, vixit, & vivit adhuc in tot Alumnis, qui Tribunalia, Cathedras, Prætorias Sellas, Episcopales Infulas, Purpuram Sacram ornarunt, ut nihil de Summo Pontifice *Leone X.* dicamus, qui Triregnum ipsum condecoravit. Præ ceteris, Historiolam hanc Typis properanti, hi turmatim in mentem subeunt. Præter pluries laudatum ejus Vitæ Scriptorem *Franc. Boeza* Cordubensem, Advocatum postea Consistorialem, *Sylvester Aldobrandinus Florentinus*, qui postmodum Cæsareas Institutiones hic publice professus est, & nonnulla etiam ipsius Decii Opera notis illustravit (*a*). *Petrus Calefactus Plumbinensis* per eumdem *Decium*, Juris Laureâ donatus, & eodem Seculo declinante, Pisanam Cathedram & ipse moderatus (*b*). *Jo: Baptista Cancellarius Pistoriensis*, nobili experimento Legalium Thesium, *in Ec-*

clesia.

[a] *Rotul. An.* 1517. — *August. Font. Bibl. Legal. p. 6.*

[b] *Ephemer. Doctor. An.* 1525., & *ex his Summar. in Miscel.*

clesia S. Michaelis in Burgo Pisarum, & deinde Pistoriensi Magisterio, percelebris (*a*). *Nicolaus Gamurrinius Arretinus*, pari specimine ibidem præstito notus, neque minus deinde in Foro illustris, gradatim ad Sacræ Romanæ Rotæ Auditoris munus evectus (*b*). *Nicolaus alter de Nobilibus*, non multo post *Advocatus præclarissimus*, prout eum idem *Decius* appellat (*c*). *Rupertus Ursinius* Archiepiscopali dignitate, familiaritateque prælaudati S. P. Leonis X., & Præceptoris sui patrocinio conspicuus (*d*). *Æmilius Ferrettus* alibi commemoratus, e Castro Franco Vallis Arni Inferioris, Avenionensi Cathedra scriptisque celeberrimus (*e*) *Laurentius Puccius* Florentinus Patricius, hujusce nostri Literarii Ordinis, & Sacri Romani Senatus grande decus & ornamentum (*f*). *Christophorus Longolius*, postea Pictaviensis Antecessor, nulli

[a] G. *Pacir. in Elog. d. Dec.*

[b] *Eugen. Gamurrin. in Geneal. Famil. &c.*

[c] *Consil. 662.*

[d] *Fr. Boez. præd. loc.*

[e] *Jacob. August. Thuan. Hist. lib. 38.* = *Helen. Ribit. in Vit. d. Ferret. &c.*

[f] *Ignat. Ursolin. pag. 2. de Florent. Nation. Pontif. & Cardin. &c.*

nulli Eruditorum, quamvis paucorum & exilium Operum editione, incognitus (*a*). *Antonius Roncionius* multiplici caussarum tutela, Canonicatu Patriæ Pisanæ Urbis, & Vicariatus dignitate præfulgens (*b*). *Joannes Baptista Pallavicinus Januensis*, quem postea Decius ipse dignissimum existimavit, ut ei *Commentarium Tit. Cod. Qui admitti &c.* nuncuparet; Romanus vero Pontifex purpureo Galero insigniret (*c*). *Georgius* pariter *de Ambays* S. R. E. Princeps, cui Decii *Commentar. de Rescriptis*, *a Jo: de Silva* dicata sunt (*d*). *Jo: Corasius Tholosanus*, cultioris Jurisprudentiæ lumen fulgentissimum, frustra ad ornandam hanc ipsam spartham accersitus. (*e*) *Cæsar Borgia*, Dux Valentinus postea dictus, magno ingenio, majoribusque flagitiis, & condigna morte in Historiâ notissimus (*f*). *Franciscus Remolinus*, pariter

[a] *Jacob. Gad. de Scriptor. Tom.* 2.
[b] *Dec. in Conf.* 327. & 542. & 543. *præd. Edit.*
[c] *In Præf. d. Oper.*
[d] *Alphons. Ciaccon. in Histor. Pontif. &c. in Vit. Paul.* 3. *in* 14. *Card. Cr.*
[e] *Anton. Usil. in Vit. dict. Coras.* = *Petr. Bayl. in eod.*
[f] *Paul. Jov. lib.* 4. & 8. = *Histor. Jacob. Nard. lib.* 4.

ter e *Valentia*, antequam in Purpuratorum Patrum Ordinem, ab *Alexandro VI.* cooptaretur; nedum in hac Academiâ, sed & in Foro exercitatissimus, & apud nos potissimum in deliberanda *Savonarolæ* punitione, Pontificius Quæstor adhibitus (*a*). *Hieronymus Justinianus*, ut alios plures interim opportuno silentio prætermittamus; de quibus; ubi ad Academiam nostram pertineant, prolixior sermo erit. Nunc ad alios, aliarum facultatum, Professores, qui prope ipsum Solemnis Reparationis tempus, effloruerunt, tempestive regredimur.

§. VII. Paulo post solemnem Pisani Gymnasii Reparationem, per Florentinos Proceres providentissime factam (quæ prima Conductionum tempora adhuc percurrimus) instituendæ in Medicâ facultate, promovendæque ad Literarios Gradus Juventuti, utiliter quoque admotus fuit Mag. *Albertinus Cremonensis*, cum annuâ mercede Flor. 495., ei persolvendâ, ut ex pluries allegato Pisanorum Professorum Catalogo, ad An. 1473. innotescit (*b*). Quibus monumentis ad-

do

[a] *Ferd. Ughel. Ital. Sacr. & Alphons. Ciaccon. in Alex.* VI. *& Pio* III. *Scip. Ammir. Vol.* 3. *Hist. lib.* 27.

[b] *In Archiv. Refor. Florent. in Class. Medic. pag.* 6.

do Pisanorum Doctorum Ephemeridem Publici Archiepiscopalis Archivii, ex quâ constat *Ipsum*, sub Anno 1475. more Pisano; Florentino autem 1474. (qui eidem etiam vivendi meta fuit) una cum *Nicolao de Fulgineo*, *Alexandro de Sermoneta*, ad Doctoratus apicem in Medica Facultate inter ceteros, promovisse *Mag. Angelum Jo: de Cardinalibus ab Aqua Pendente*; prævio hoc experimento, a Cathedra *Logicæ*, quam jam *Pisis* moderabatur, (*a*) ad Superiores, aditum sibi peropportune parantem.

In Historia Ferrariensis Gymnasij sub An. 1450., inter Artium Professores, & probabiliter Logices, *Albertinus de Cremona* recensetur (*b*). E Scholasticis Bononiensium Actis ab An. 1454. ad An. 1456., de Extraordinaria ejusdem *Albertini* Lecturâ, Philosophiæ primum, mox Ethices, diebus festis, æque luculenter apparet (*c*). In adductis autem locis, ne mentiar, deest *Gentilitium Cognomen*: quod *de Chizzolis* fuisse,

[a] *Memor. Reform. Florent. sub dict. An.* 1474.

[b] *Ferrant. Borset. part.* 1. *libro* 1. *pag.* 56., *&* *part.* 2. *lib.* 1. *pag.* 33.

[c] *Alidos. de Dot. Forest. de Teol. Medic. Filos. pag.* 5.

se, ex recensione Testium, qui Promotioni ad Literarias Infulas, in Jure Pontificio, *Mag. Baptistæ quondam Magnifici Domini Petri de Lagnis Regnicolæ* adfuere, mihi demum innotuit, ibi: *Mag. Albertinus de* **Chizolis** *Cremonensis Artium & Medicinæ Doctor Excellentissimus* (*a*). Confirmat Nomen Alberici Jacobi *de' Chizolis* de Cremona, qui in nuper allegatis monumentis, pariter inter Testes reperitur (*b*); quique in mox afferendâ Inscriptione, *Albertini Nepos*, & *Hæres* asseritur. Quorum propterea, hactenus ineditorum monumentorum ope, & præsertim hujus postremi, non tam *de Gentis Cognomine*, quam de Nomine quorumdam Agnatorum edocemur.

Atque ex his omnibus Supplenda, in hac parte, videtur, alioquin accurata, *Viri Claris. Francisci Arisij* Historia, cui Titulus *Cremona Literata*, qui de duobus.

(a) *Lib.* 2. *Pisan. Doct. in Arch. Archiep. pag.* 36. *An.* 1474.

(b) *Dict. lib.* 2. *pag.* 90. *a Terg. in Doct. in Philos. & Medic.* Theophili q. Gerardi de Terricciola *An.* 1477. & *d. lib.* 2. *pag.* 89. *in Promot. ad Medic. Inf.* Christophori Petri de Franchuceis de Aret. d. An.

bus utique insignibus Viris Medicinæ Professoribus, hujus nominis, in præd. Opere, meminit; quorum Primum *de S. Petro* nuncupat (*a*); & decurrente Seculo 14. Vulgatis Operibus percelebrem, & Ferrariensis Gymnasij Professorem agnoscit etiam in prælaudatâ Historiâ *Borset.* sub An. 1336. (*b*). Alterum vero hujusce Professionis & Ætatis, quam modo Historicâ narratione percurrimus, videlicet XV. *Seculi*, ibidem commemorat *Arisius* (*c*), nec non *Borsettius* (*d*), in cujus Familiâ *de Catanis*, si forte fortuna hallucinati fuissent, ut suspicari aliquatenus licet, & de *Chizzolis* censeri deberet, quem de *Catanis* appellant, jam haberemus Professorem hunc nostrum, sub alio cognomine, ab iis laudatum, Scriptorem illustrem *de Hydrope*; *de Doloribus Colicis*; *de Pestilentia*; *de Mulierum Pulchritudine*: Quæ opera Cremonensi

(a) *D. Aris. Tom. I. An* 1353. *n.* 36. pag. 161.

(b) *P.* 2. *lib. I. pag.* 2. *sub An.* 1336.

(c) *D. Tom. I. ad An.* 1459. *n.* 56. *& in Addit. ad præd. Tom. post.* 3. *edit.*

(d) *D.p.*2.*Lib.*1.*p.*33. *ad An.* 1450.

nensi huic secundo *Albertino* accepta ab ipsis referuntur. Quod si in Gentilitio Cognomine, minime decepti fuissent, tertium *Albertinum*, Arisianæ Collectioni addendum, protulisse gloriaremur. Sed jam prodeat *Albertini* nostri Inscriptio, quæ in solo Ecclesiæ *S. Catharinæ*, Patrum Prædicatorum, in hac Pisana Urbe, legitur prope aram D. *Petro Martyri* dicatam.

„ *Albertino Cremonensi Phisico Medici-*
„ *na Theologia & ceteris liberalibus*
„ *Artibus exculto Albericus ejus ne-*
„ *pos Bonorum & Virtutis heres. Hoc*
„ *Sepulchrum faciendum curavit.*
„ *Obiit An. Sal. MCCCCLXXIIII.*
„ *die X. Sept.*

Hisce Doctrinarum ornamentis, miro fœdere junxisse eximiam morum probitatem, Testis est locupletissimus *Marsilius Ficinus*, qui in Epistolâ ad *Laurentium Lippium*, Professorem pariter nostrum datâ, suo nomine, ipsum *Albertinum*, *Doctrinæ & Honestatis exemplar*, salutatum iri jubet (*a*).

§. VIII. Celeberrimi Viri *Joannis Sermonetæ* Professoris Bononiensis, in Catalogis Clarissimorum Scriptorum de Re-

(a) *Lib.* 1. *Epistol.* 108.

Rebus Medicis, jure meritoque recensiti [*a*], non degener filius *Alexander*, Patriâ *Senensis*, in Academicam hanc lucem, ad Medicinam profitendam, sub peculiaribus auspiciis Florentinorum Optimatum, An. 1473., & quidem cum lauto Florenorum Sexcentorum Stipendio prodiit [*b*]. Cum in Academiam hac advenit, *Commentariolum* jam adornaverat in *Consequentias* Philosophi non ignobilis *Radulphi Strodi*, qui postea, sub An. 1488., e Venetis Typis lucem adspexit, ut penes *Gesnerum*, & *Josiam Simlerum & Jacobum Frisium* ejus Bibliothecam supplentes, memoriæ proditum est [*c*]; cujus Opusculi exemplum nitidissime exaratum cum in *Riccardianâ Bibliothecâ* adservetur, hujuscemodi subscriptionem exhibens : *Explicit egregius doctor Magister Alexander Sermoneta super Consequentias Strodi, scriptus per me Petrum Ma-*

(a) *Isr. Spach. in Elench. Medic. pag.* 5. *&* 13. = *Linden. Renovat. Lib.* 1. = *Andr. Tiraquel. de Nobil. Cap.* 31. = *Herman. Conring. Tom.* 5. *Cap.* 4. = *Jo: Pasqual. Alidos. de Dott. Forast. pag.* 33. *&c.*

(b) *Arch. Reform. sub d. An.* 1473.

(c) *In Verb. Alex. Sermon.*

Magistri Joannis Baptistæ de Leopardis de Cortonio, dum Artibus Perusiis studebam Mense 26. Julii 1473 (*a*)..... .. Hæc utique indicio nobis sunt, Stipendiis ab eo Perusii emeritis, in hanc nostram Universitatem concessisse. Simul autem cum ipso huc disciplinæ causâ perrexisse, etiam *D. Petrum Jo: de Leopardis de Cortonio*, illud argumento est irrefragabili, quod, eodem *Alexandro Sermoneta* Promotore, Lauream hic Doctoratus acceperit sub die 26. Maii An. 1475. ; ut Scholastica nostra Monumenta testantur (*b*). Ex lectissimo Auditorum numero, alios, quoque Philosophiæ & Medicinæ Lauro insignivit, e quibus inpræsentiarum præcipue commemorandus occurrit *Bernardus Clementis Torni Florentinus*, Pisanæ Cathedræ non multò post, & ipse præpositus (*c*).

Post Annum 1478., qui frequens Academicis Conventibus, una cum *Ti-*

gnosio,

(a) *D. Clariss. Jo: Lamius in Catal. Mss. d. Bibl. p.* 19.

(b) *Lib.* 2. *Doctor. in Archiep. Tabular. pag.* 71.

(c) *Lib.* 2. *d. Archiv. pag.* 73. *An.* 1475. = *Memor. Reform. sub An.* 1478.

gnosio, *Albertino* ceterisque coævis, reperiebatur *Sermoneta*, desiderari cæpit. Exinde autem *Patavinis* fidem obstrinxisse, adeoque frustra a nostris repetitum (*a*), ex *Philippo Thomasinio* colligitur, qui ex *Lib. Statutorum* 2. *Cap.* 1., sub An. 1479., sic adnotat: *Alex. Sermoneta Pisis Patavium venit ad Lecturam Ordinariam Medicinæ* (*b*). Ex eodem autem, & verosimiliter ex eadem urbe, habentur *Consilia Medica quorumdam Patavinorum*, quæ extare cum *Georgii Hieronymi Velschi Consil. Medicinal.*, testatur *Claris. Jo: Jacob. Manget. in Biblioth. Script. Medic. Tom.* 2. *P.* 2. *Lib.* 18. *recent. Edit.*, *pag.* 244.

§. *IX. Johannes Ægidii de Aquila*, a præsignatâ reparatæ universitatis Epochâ, per plures subinde Annos, & ab initio cum Florenis 275., præcipuas Medicorum sellas occupavit (*c*). Ejus doctrinæ notabiles progressus, suamque, in solemni Doctoratus examine, adprobatio-

(a) *Lib.* 2. *deliberat. Official. Stud. pag.* 65.

(b) *Lib.* 4. *Gymnas. Patav. in Chron. pag.* 396.

(c) *Rotul. Medic. An.* 1473. *in Lib. Reform. Florent.*, & *Lib.* 2. *pag.* 104.

bationem plures præstantissimi viri debent; præsertim vero præl aud. *Bernardus Tornius* sub An. 1475.; *Christophorus Petri Francucci de Arretio An.* 1477., de quibus etiam alibi sermo (*a*). Post hæc, cum *Luchinum* concurrentem respueret; nec æmuli dimittendi æqua videretur caussa, non potuit, etiam 450. Florenis oblatis, longius hic detineri (*b*); sed ægritudinem caussatus, quâ vere paulo pridem conflictatus fuerat, discessit An. 1479. ac Patavium abiit (*c*).

Eâ incuriâ, cujus sæpe suos illustres in scribendo prædecessores insimulat, reticet Patavinam ejus Lecturam, laudatus alioquin Scriptor, *Nicolaus Papadopolius*; quamvis ex eodem *Thomasinio*, nedum de substituto ei in graviore ætate dato sub An. 1506. præmoneretur; sed & eo Privilegio decoratum fuisse, quod cum olim reliqui Patavini

---

(a) *Ex Lib.* 2. *Doctor. pag.* 73. & 89. *Archiep. Cur.*

(b) *Epist. ad Ugolin. Regolin. dat. in d. Lib.* 2. *Reform. pag.* 24.

(c) *Notul. in d. Memor. Reform. sub d. An.* 1479. = *Jac. Phil. Thomasin. Lib.* 1. *Gymn. Cap.* 38. *pag.* 135., & *Lib.* 3. *Cap.* 10. *pag.* 297.

Gymnasii Professores, studiosorum calculis, quolibet Anno eligerentur, vel electi confirmarentur, *Mag. Jo: de Aquila*, cum aliis plerisque, gravissimæ huic censuræ, honoris ergo, fuerit exemptus (*a*).

Penes alios Auctores, Patavina hæc Cathedra adeo in confesso est, ut referente *Toppio ac Mangethio* (*b*), *Joannes Patavinus*, veluti per Antonomasiam, *Joannes Aquila* nuncupetur; & tum ob opus *de Sanguinis Missione in Pleuritide*, tum ob alia personalia merita, summis laudibus efferatur.

Reticent e converso *Tomasinius* ipse, *Manget. Topp.* & verosimiliter alii, quibus ipsi deferunt, tacuerant *Pisanum* hoc publice Prælegendi *munus* fuisse *a Jo: de Aquila* obitum; & sane decipere quemvis potuisset rumor Academicus alio etiam facile pervagatus, quod honestissimis conditionibus, sub An. 1491, invitatus, (at hæc nova conductio erat) *fidem fregit*, *nec venit*; verum etiam absque

(a) *D. Jac. Philip. Tomasin. præal. Loc.*

(b) *Nic. Top. Bibl. Neap. pag.* 114. = *Jo: Jac. Manget. Tom.* 1. *p.* 1. *Lib.* 1. *pag.* 565. = *Andr. Tiraquel. de Nobil. d. Cap.* 31. *&c.*

absque eo quod justam hanc omissionis causam, in prælaudatis scriptoribus obtendamus, in tanta ac tam deplorabili oblivione, in qua hactenus monumenta nostra jacuerunt, silentium omne, exteris potissimum hominibus, ignoscimus. Non adeo tamen benigne cum nostris agendum cum antiquas cartas evolvere valentibus, nedum superior conductio An. 1473., sed & alia recentior sub An. 1481., innotescere potuerit; immo potuerint probe colligere restitutas, ab Academico ærario Præfectis, pecunias impensas, occasione prædictæ conductionis *Mag. Antonio de Medicis S. Theologiæ Professori*, in Conventu Florentino *Minor. Convent. S. Francisci*, vulgo *S. Crucis*, degenti [*a*].

Non caret tamen, apud ipsum *Toppium*, insigni laudis testimonio, quo eum celebrat *Lucas Gauricus* [*b*], & ejus æqualis *Antonius Corsettus*, quod hic placet exscribere: *accessit etiam summi & celeberrimi facile Principis D. Magistri Joannis Aquilensis sententia, qui tamquam alter Æsculapius, a cun-*

C 2 *ctis*

[a] *D. Lib.* 2. *Reform. pag.* 141.
[b] *In Lib. super diebus decretor. in princip.*

ctis mortalibus , tempestate nostrâ colitur & observatur [*a*].

§. X. Togatæ huic Medicæ Militiæ, Praxi potissimum edocendæ nomen dedit, sub An. 1473., *Stephanus de Mediolano* (*b*), quem ex *Turriâ Familiâ*, in eo Territorio clarâ, & *Antonii* filium fuisse, deprehendimus (*c*) . Postquam eximius hic vir, non vulgaris doctrinæ suæ fundamenta, in Bononiensi Academia studens, jecerat, ibi Logicam primum, & subinde Physicam, publice professus est, ut ex Actis celeberrimi illius Gymnasii, memoriæ prodidit *Alidosius* (*d*). Cum autem, iis præcipue temporibus, in usu foret, ut celebriores in unaquaque Arte Professores, diversas Universitates, disciplinæ tradendæ causâ appeterent, amplioris Honorarii spè illectus ad nostram pervenit, Stipendium consequutus in prima ejus conductione, *Florenos* 412. cum dimidio (*e*), perque plu-

---

[a] *In tract. de Potest. & Excel. Reg. in quæst.* 74.

[b] *Rotul. Medic. in Archiv. Reform. sub d. An.* 1473.

[c] *Lib.* 3. *Deliber. Offic. Stud. pag.* 100.

[d] *De Dott. Forest. pag.* 75.

[e] *D. Lib. Memor. Reform. pag.* 6.

plures annos, nec minus certe Decennio, immoratus hic est; nam præterquamquod constat eum curationi insignis Literaturæ Viri *Christophori Bartolomæi de Landinis*, utiliter accitum fuisse, dum adhuc Pistorii, in Pisano Gymnasio profiteretur, ex duplici Curatorum Studii benignâ concessione; quarum una sub die 26. Mensis Junii; alia sub die 5. Julii An. 1481. legitur (*a*), de nova insuper ipsius Conductione, sub die 20. Augusti An. 1483., pro uno Anno factâ, ex Academicis Actis innotescit (*b*).

Interea illud ei quoque contigit honorificum, quod dum Lycei nostri clavo sederet *Carolus Philippus de Gabrielis de Augubio*, inter ceteros, ad Literaria Insignia promoverit *Christophorum de Arretio*, magnum decus & ipsum Athenæi nostri extiturum, ut superius innuimus, & opportunius infra dicemus (*c*). Post hæc, in Bononiensem Academiam reversum, ibi reliquum vitæ suæ transegisse, Medicum Ordinarium Vesperti-

 num,

---

[a] *In* 2. *Reform. Lib. Rer. Stud. pag.* 39. *&* 41. *terg.*

[b] *D. Lib.* 3. *Delib. Stud. pag.* 100.

[c] *Ex Lib.* 2. *Doctor. in Pisan. Archiep. Arch. pag.* 89. *&c.*

num, usque ad VI. Id. Sextil. An. 1494., testis est *Alidosius* prælaudatus; ibidemque pie defunctum, & in Sacra Æde Misericordiæ tumulatum. An ulla superimposita fuerit Inscriptio, ipsemet reticet; refert tamen, inter Epithaphia *Equitis Casii*, hoc priscam plane simplicitatem redolens, legi.

„ *Altro Esculapio, Hippocrate, e*
„ *Avicena*:
„ *Fu l' Almo Maestro Stefan della*
„ *Torre*;
„ *Natura alle sue cur mai potè op-*
„ *porre*;
„ *Conobbe il polso, l' orina, e la*
„ *vena*.

§. XI. *Nicolaus Tignosius*, vulgo *Nicolaus de Fulgineo*, a Fulginio ejus Patria, natus An. 1402., hereditariam *Jacobi Patris* virtutem, ingens ad honestatem & doctrinam calcar habuit. In optimarum Artium studiis, & potissimum in Philosophica ac Medica facultate, adeo cito adolevit, ut juvenis Annorum circiter 24., ad Logicam Artem in Bononiensi Archigymnasio profitendam, fuerit honorificentissime conductus (*a*).
Hinc

(a) *Nic. Pasq. Alidos. de Dott. Forest. pag.* 55.

Hinc Arretium profectus, Medicinæ præsertim faciendæ causâ, Publico Decreto, ejusdem Civitatis jure donatus fuit. Constat quoque Florentiæ, sub An. 1451., Publico Docendæ Medicinæ munere cohonestatum fuisse (*a*). Ex quâ Academiâ, in renovatum hoc Pisanum Athenæum, ad Philosophiam, e publicis rostris tradendam, senex valde translatus, cum Florenis 365. Annuæ pensionis (*b*), non multo post, hic postremum diem obiit.

Quandiu vixit, non destitit erudire, & eruditos Doctorum insignibus decoratos, in Reipublicæ commodum, dimittere, ex. gr. *Gulielmum Joh. de Castro novo de Aliano Siculo*, aliosque alibi notatos (*c*).

Interea contenderat etiam *Nicolaus*, evulgato Opere, de Publico benemereri, ac *Laurentio Mediceo*, cujus patroci-

[a] *Catalog. Florent. Profess. in Protoc.* 2. *&* *Nicol. Michael. Dini in Arch. Gener. cujus Exemplum exstat in Annal. Recent. Acad. Columbar.*, *in ædibus nobiliss. q. Equit. Jo: Hieron. de Pactiis.*

[b] *Memor. Reform. sub d. An.* 1473. *cum ibi notatis.*

[c] *Lib.* 2. *Doct. Archiep. Tabul. pag.* 61. *terg. &c.*

nio fruebatur, & cujus ope fuerat in Professoria hac Sede locatus, officiosa nuncupatione, se gratum exhibere; donatus etenim, ut ipsemet de se ipso narrat ibidem, ab egregio Viro *Statio Bondutio Octavante* recenti quadam versione de Greco in Latinum Idioma, *Librorum Aristotelis de Anima*, eos luculentissimis Commentariis illustravit, quos erudito Mecænati suo dicatos voluit. Opus hoc non infelici calamo exaratum videtur, & cultâ satis Præfatione, licet in ea (quod ad nostram Historiam Academicam adtinet) Anachronismum offendas; commemorat enim, & in censum laudis honorificentissimi Patroni sui refert, *Pisanum Gymnasium*, per notissimam hanc ipsius reparationem, sub An. 1472. providentissime factam, *centum & triginta annis* jam una cum Civitate deperditum, revivìscere; cum potius 130. Annis, retro computatis, Anno videlicet 1343., & sequentibus, *Pontificio Diplomate* obtento, ibique Clarissimis Professoribus *Bartolo*, *Baldo*, *Joanne Andreæ*, *Francisco Tigrinio* docentibus, non parum floruerit; quamvis post sexdecim circiter Annos, aliquam senserit jacturam (*a*). Sed Historica hæc errata ejus Phi-

[a] *Vide* II. *Dissert. nostram*, *cui Tit.* Ex-

Philosophiæ præstantiæ minime detrahunt. Publicam præli lucem adspexere hæc Commentaria, sub *Cosmo I. Etruriæ Duce An.* 1551., eo facillime curante, cum ex Medicea ipsius Bibliothecâ prodierint (*a*); non ipsomet *Tignosio* editore, ut perperam sensisse videtur *Georgius Mathias Konigius* (*b*); neque enim huc usque vitam protrahere potuit: immo neque ipsius *Filius*, in cujus pariter nomine, erratum aliquod observare datur: quem etenim *Jo: Nicol. Pasqual. Alidosius Curium Marium appellat* (*c*), *Cyrus Marius* nuncupatur in subjectâ hic Marmorea Inscriptione, quæ in pavimento Claustri Cœnobii P. P. Regularis observantiæ D. Francisci, extra Pisanæ Urbis januam, apud nos dictam *delle Piagge*, prope parietem Ecclesiæ, insculpta est; hæc quippe, quamvis diversâ formâ caracterum impressa, ita se habet.

Excursio Historic. pag. 6. &c. juncta pag. 58., & in Opusc. III. *De Nonnull. &c. pag.* 11. *ex Vol.* 34. *Arch. Publ. Pis. sub An.* 1360.

[a] *Typ. Laurent. Torrent. Typogr. Ducal. in Fol. d. Ann.* 1551.

[b] *In Biblioth. Veter. & Nov. sub Verb. Tignos.*

[c] *Tract. de Dott. Forest. pag.* 55.

„ *D. Nicolao Tignosio Fulginati Medico*
„ *Insigni omniumque sui temporis*
„ *Philosophorum inter Clariores enu-*
„ *merando, ac multorum Aristotelis*
„ *Librorum Commentatori acutissimo,*
„ *Cyrus Marius pientissimus Filius*
„ *Patri Optimo, & suis miris Vir-*
„ *tutibus Civitate Arretina donato*
„ *posuit. Vix. An. LXXII. Mens.*
„ *V. D. XV. Decessit cum Pisis Le-*
„ *geret XVIII. Kal. Octob. MCCCC.*
„ *LXXIIII. H. M. H. N. S.*

§. XII. E' conspicua Carmelitarum Schola, quæ ferax olim Emporium existimata est, unde subtiles Dialectici educerentur (*a*), ut olim Chrisippus ad fulciendam Porticum Stoicorum, ita ad fulciendam reparatam hanc Peripateticorum, non satis esse creditis *Angelo de Cardinalibus*, & *Mag.. Dom. Baptista de Camaldulo*, Viris alioquin apprime doctis, eductus quoque est *Fr. Joannes Nicolai fil.* origine Venetus, cognomento *Albus*, sive *Blancus* (*b*).

Per

[a] *Franc. Becchius in Elog. Tom.* 2. *Edit. Flor. ap. Sermart. pag.* 14.

[b] *Memorial. Refor. Florent. sub d. An.* 1473., & *Lib. Deliberat.* 4. *p.* 166. & *Lib.* 5. *pag.* 168. *terg.* & *alib. pas.*

Per triennium *Senis* ingenii sui periculum fecerat, cum An. 1473. in Academiam nostram advenit; cumque in Pisanâ Urbe, opportunitate Cœnobii frueretur, tenue honorarium Florenorum 50., sufficiens ei visum est: quod, vergente ad finem eodem seculo, usque ad quantitatem Flor. 110. paulatim adauctum adinvenitur (*a*).

Neque per longam Annorum seriem, quibus hic publico bono operam impendit, Gymnasiarcorum spem expectationemque elusit. Hinc in ceteris omnibus, quæ ad ipsius commodum dignitatemque pertinere credita sunt, efficaces Epistolas pro eo libentissime interponere dignati sunt. Extant in secundo, & quarto Scholasticarum Deliberationum Libro, plures hujus generis literæ, quarum una ad *Fr. Simonem de Emporio*, tunc temporis ejus Cœnobii Priorem, quâ eidem facultas Laicum Scholarem, in proprio cubiculo alendi interceditur; alia ad Provincialem Ordinis *Mag. Joannem de Prato*, quâ ipsimet Superioris, in eadem religiosâ familiâ, dignitas impetratur; altera ad *Fr. Bartholomæum*

(a) *Rotul. An.* 1498. *in d. Lib.* 5. *pag.* 104. & 168. *tergo in Arch. Reform. præd.*

Masium, pariter Provinciæ Thusciæ Præfectum, Cætumque Definitorum, quâ laudatum Virum in officio prorogari, enixè efflagitant (*a*). Majoribus etiam potitum aliundè constat, nempe Generalis Ordinis sui Visitatoris, ac totius Religionis Præfecturâ, quam summâ Innocentiâ & Probitate, per biennium administravit (*b*).

Cum autem non in Dialecticâ solum, verum & in Oratoriâ plurimum eminere dijudicatum sit, Sacris Concionibus habendis adhibitus fuit, in quo similiter munere obeundo, præter selectos Urbium Proceres, Florentiæ, Patavii; Romæ etiam *Sistum IV.* in Vaticana Basilicâ, meruit auditorem habere: fautorem deinde, Judicemque benignissimum in decernendo *D. Alberti* cultu, pro quo una cum *Christophoro Martignonio*, totius Ordinis Generali, quammaximè satagebat (*c*).

In Theologicis quoque Disciplinis excellens habitus, a *Raphaele Riario* Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, Archie-

(a) *Lib.* 2. *Offic. Stud. pag.* 77. *Lib.* 3. *pag.* 20. *Lib.* 4. *pag.* 70.

(b) *Jo. Bapt. Lezan. Tom. IV. Annal. sub An.* 1499. = *Fr. Bocch. ibid.*

(c) *Id Bocch. pag.* 15. = *Jul. Negr. Hist. Script. Florent. in Verb. Gio. Bianch.*

chiepiscopo Pisano vigilantissimo, Theologi sui gradu meritò decoratus fuit. (*a*).

Nullum tamen, in hoc Doctrinæ genere, monumentum ipsius existere, quod sciam, traditum est; in Romanâ autem sui Ordinis Bibliothecâ, hæc superfuisse testantur: *Mss. luculenta in Logicam* = *In* 8. *Phisicorum Aristotelis Libros* = *&* 12. *Metaphysic. Commentar. super Regul. Hentisber. magno studio elaborata.*

Meritis demum, plus quam Annis, onustus, die 2. Aprilis An. 1499. Sexagenarius in Florentino Cœnobio, diem clausit (*b*), ubi, antequam tempus rerum edax in hanc quoque Antiquitatis reliquiam insæviret, cum ejus effigie, honorifica hæc inscriptio conspiciebatur (*c*).

„ *Soritem celeber Chrysippi evolvere,*
„ *pugnas*
„ *Solvere Zenonis quodque dolosus habet*
„ *Frigidulo en Albus moriens sub*
„ *mamore clausus.*
„ *Quanta est heu Logicis facta*
„ *ruina Viris!*

§. XIII.

(a) *Iid. ibid.*

(b) *D. Rot. An.* 1498. *in not. Marg.* = *Luc. Belg. Biblioth. Carmel. p.* 122. *&c.*

[c] *Necrolog. Ms. Biblioth. Carmelit. Florent.* = *Negr. & Bocch. ibid.*

§. XIII. Nihil intentatum relinquentes, quo Pisani Lycei gloriam augerent, vigilantissimi Moderatores, e Bononiensi Gymnasio, huc quoque transferendum curarunt *Bartholomæum de Prato Veteri*, Humanarum Literarum Professorem eximium, qui ab An. 1470. usque ad 1473. Rethorices, Poetices, & Græcæ Linguæ Præceptoris in ea celeberrima Universitate partes obierat (*a*). Itaque, sub An. præd. cum Stipendio 165. Florenorum de Studio, tunc temporis ad rationem Librarum quatuor pro Floreno, cæpit hic Poeticam, & Oratoriam publicè profiteri (*b*).

Natus erat ex honestissimo Patre *Ser Felice*, in Oppido præd. nominis, vulgò *Prato Vecchio*, sito in unâ ex præcipuis Territorii Florentini Regionibus, quæ *Clusentinum* appellatur, & quæ nullo non tempore, felicium ingeniorum atque præstantium Hominum proventu feracissima fuit (*c*). Peculiarem ejus educa-

ca-

[a] *Nicol. Paschal. Alidos. Dott. Forest. de Teolog. &c. &c. pag.* 15.

(b) *Memor. Reform. sub d. An.* 1473. *Spol. Scip. Ammir. in Bibl. Florent. Barnabit. & in Arch. Secret. Etrusc Princip.*

(c) *Joseph Mannuccius in Lib. de Glor. Clusent.*

cationem sibi Florentia vindicat, quæ postmodum de probè jam experto ipsius Magisterio cum Pisana Urbe contendit; & ferè eo redigi obtinuerat, cum repente ad preces Nobilium quorumdam Adolescentium, & præsertim Alienigenarum, *Pisis* operam literis navantium, utpotè æquissima in Possessorio Judicio Manutentio, Curatorum Studii Decisio hæc emanavit *Faciat Pisis quod facturus erat Florentiæ*. Legitur eadem, sub An. 1478. *in secundo Florentinarum Reformationum Codice*, qui ad res Academicas pertinet (*a*). E quibus pariter monumentis innotescit, donatum honorario usque ad Floren. 150. ac præcipuis benevolentiæ significationibus affectum, quandiù vixit (& vivendi ei meta fuit dies septima Junii Anni 1497. (*b*)) partim *Pisis*, partim *Florentiæ*, quod Pisanum Athenæum translatum fuit, in dies magis magisque inclaruisse.

§. XIV. Qua ætate ad edocendas Humanas Literas in Pisanâ Universitate, conductus fuit *Bartholomeus de Prato Veteri*, de quo nuper egimus, eâdem, Anno nimirum 1473., ad Græcas profiten-

(a) *In Tabular. Florent. pag.* 13.

(b) *Not. Margin. in Rotul. An.*1496. *in Lib.V. d. Arch. p.* 166.

fitendas, cum Florenis 80., in eumdem Ordinem fuit adſcitus *Laurentius Ser Joannis Petri de Lippis*, origine *Collenſis*; Municipio & Civium Jure, *Florentinus* [*a*].

In eadem Florentina Urbe, nullo non tempore plena bonis exemplis, in amicitiam, intimamque familiaritatem ſummi Viri *Marſilii Ficini* redactus, mirum in modum, potuit ſub eo proficere [*b*], atque inde quoque ſatis juvenis, ut conijcere licet, profectus, optimis conſiliis monitiſque, opportuno epiſtolarum commercio, adiutus deprehenditur; inter quæ paucula hæc libet exſcribere: *Conſule diſcipulis tuis in more Socratico; doctrinis humanis utantur ad expellendas ſenſuum nebulas, & animum ſerenandum* &c. &c. *Scientiam naturâ liberam nefarium eſt fieri nummariam* &c. *Præbe te ipſum bonorum morum exemplum* &c. [*c*].

Hæc, quæ magnus Platonicus ſuadebat, non oretenus tantum, ſed ſcriptis quoque, egregie præſtitit *Lippius*, Sa-

[a] *Lib.* 2. *Deliberat. Stud. pag.* 90. *&* 143. *terg. & Mem. ſub d. An.* 1473. *&c.*
[b] *Lib. XI. Epiſt. Ficin. epiſt.* 27. *ad Martin. Uran.*
[c] *Lib.* 1. *Epiſt.* 108. *Edit. Baſil.*

Salutaria, pro Juventute, monita conscribens; cumque Latinâ etiam Poesi (in quâ Lauream accepisse perhibetur) maxime præstaret Disticha supra centum edidit, quæ excusa postmodum Argentorati fuere [*a*]. *Haulieutica quoque Oppiani*, sive *de Piscibus Libros V.* latinos exametris Versibus reddidit [*b*], eosque præmissa satis luculenta & eleganti *Oppiani* ipsius Vitâ, communi Literatorum Mæcenati *Laurentio Mediceo* dicavit: quod opus sane pulcherrimum, immo integrum Oppiani opus, hoc est tam *de Venatione*, quam *Piscatione*, denuo in Etrusca lucidissima carmina, a *Clarif. Antonio M. Salvino* versum, notulis aptissimis inlustratum, & nova quadam exactiori Ortographiâ prædives, Florentiæ prodiit Typis Regiæ Celsitudinis An. 1728. curâ & operâ *Josephi Bizzarrinii* &c. J. D. dum in vivis ageret, Militari Curiæ Etruscarum Legio-

[a] *Mich. Pocciant. & Jul. Negr. in Biblioth. Script. Florent. in V. Laur. Lip. &c.*

[b] *Gesner. in Biblioth. in Verb. Oppian. & Laur. Lip.* ⇌ *Jacob. Gad. de Script. non Ecclesiast. in Verb. Oppian.* ⇌ *Lil. Gregor. Gyrald. in Dialog.* 1. *de Poet. suor. tempor.* ⇌ *Andr. Tiraq. de Nobil. Cap.* 31. *&c.*

gionum S. C. M. merito præpositi, atque olim ab intimis Studiis *Jurisconsultissimi Integerrimique Viri Auditoris Jacobi de Comitibus*, de quo nec mea vox umquam, neque ulla ætas conticescet.

Audiebat *Lippius* noster penes ipsum *Marsilium*, aliosque, tanquam *excellens Orator* [a]. Ut autem in de genere ipsius eloquentiæ aliquatenus constet, exordium cujusdam Orationis, pro renovatione studiorum, Pisis habitæ, mihi liceat exhibere, quod ex Bibliotheca *Eminentissimi Principis Nerei Corsinii* [b], mihi perhumaniter suppeditavit *Eruditis. Vir Franciscus Fogginius*; idque, prout ibi interpunctum jacet, Venetis Typis imprimendum curo. . *In Hoc celeberrimo gymnasio, Reverendissime Antistes: ornatissime Rector, in tam generoso civium adulescentium cœtu: in tanta doctorum, & clarissimorum virorum frequentia: tanti gymnasii principium auspicaturus: nil antiquius mihi duxi: quam & laudes & originem omnium scientia-* tum

(a) *Lib.* 6. *Epist.* 15. = *Franc. Asul. in Præf. Oper. Opp.* = *Salvin. Not. pag.* 232. & 242.

(b) *In Cod. Papir. sub. N.* 582. *p.* 46., *cui Tit. Oratio Laurentii Lippii Collensis recitata in Principio Studii Pisis K†S. Novembrias*.

rum brevius quam tanta res dici posset complectar: Si prius, ut par est de Medice familia: & de Laurentio: qui hoc gymnasium constituit, pauca prælibaverim. Si enim multum debemus illis, qui aliquo præclaro monumento humano generi profuerunt: Si alios ad Cælum laudibus nitimur efferre: qui artes pene demortuas & extinctas in lucem revocarunt: quibus laudibus Medicen familiam tollemus? quo honore prosequemur? quibus beneficiis tot merita compensabimus? Ab hac familia tot Augusta templa edificata: tot instaurata: tot egregia virtutis monumenta: cum maxime in nostra civitate: tum in toto orbe terrarum relicta. Sed hæc omnia, quia multorum poetarum, & scriptorum libris illustrata sunt: silentio involvenda esse duxi. Id in presentia moliar: eo tendam: ut ostendam, quemadmodum bonæ artes & disciplinæ, quæ tam longo tempore, horridæ squalidæ, rubigine situ, carie pallore obsoletæ atque absumptæ: per hanc familiam nitidæ, lucidæ, claræ, fulgorem, & splendorem quemdam præ se ferunt. Sed ut a Cosmo Avo nostri Laurentii incipiam: nullus ante eum, permulta tempora Virum non solum eruditum: sed nequidem litteris leviter tinctum audivit. Cosmus primus Bibliothecas Florentiæ publicavit: præceptores tam græcos quam latinos Flo-

een-

rentiæ conduxit. Præmia viris doctis proposuit ampla, & magnifica munera, in Viros Studiosos contulit: tum plerique adolescentes præmiis & honoribus compulsi, inflammati & incensi amore litterarum, ardore quodam & fervore animi quadam generosa contentione, & emulatione adhibita, Studiis invigilarunt: & clari evaserunt. Multa volumina latine facta: multa poemata Scripta: & suo nomini dedicata: argumento esse possunt. Successit huic Petrus: qui patrios mores & disciplinas imitatus: non a curriculo veteris, & generosæ familiæ exorbitavit. Adiumento, etiam ipse Viris eruditis fuit. In poetas beneficentissimus: Sacros musarum cultores muneribus honestavit: & literas jam in Urbe nostra claras, clarissimas reddidit. Post hos Laurentius patrias, & avitas virtutes secutus: hoc celeberrimum gimnasium, hanc novam academiam constituit. Et Pisas, brevi novas Athenas futuras haud quaquam dubitemus. Hic enim tanquam in gremio Palladis fovebuntur Studia: alentur disciplinæ. In posterum enim Pisæ tot Viros doctos emittent: quot strenuissimi milites, ex equo trojano in bellum prodierunt ac Tandem recognoscetis Pisas & a Pisa græca Peloponesi civitate originem duxisse: & ab iis qui e Peloponeso cum Nestore adversus Ilium militarunt, ædificatas

fuis-

fuisse. Cum post decursa multa tempora tamquam antiquæ originis memores vetera Studia repetant: & Nestoream illam facundiam, de qua homerus meminit, præ se ferant: & suos auctores imitentur. Quæ enim civitas salubritate cœli: soli fertilitate: copia & abundantia rerum oportunitate loci cum hac certare poterit? Ex continenti omnes opulentissimæ etruriæ, & totius Italiæ civitates finitimæ: ex altera parte patet mare tyrrenum: quot externæ nationes cum commeatu, cum supellectile, cum Sarcinis huc se transferre poterunt. Sicilia Insulæ æoliæ, *Sardinia cyrnos insulæ baleares: Hispania citerior: Hispania Superior: quæ Lusitania a lusu liberi patris appellata usque ad Gades. Britania Ibernia usque ad Mare, Oceanum quanta facilitate Pisas navigabunt. Non potest dici quanta commoditas, ex hoc mari proveniat: omnes civitates maritimæ nullam rerum penuriam perpeti possunt: quod unico Dinocratis exemplo facile percipi potest. Dinocrates Macedonicus Architectus cum ingenium, & artificium ejus Alexandro Magno notum esse desideraret: & aditum, in dies multo difficiliorem inveniret, nec videret quo pacto tanti Regis benivolentiam sibi conciliaret: nudavit corpus: melle illinivit: plumis implicavit: & ante tentorium Alexandri saltavit. Alexan-*

xander rei novitate hominem introduci jussit: interrogavit quis esset. Cui Dinocrates. Architectus Ego sum, pulcherrimum opus ingenii mei ad te desero. Habebat in manibus montem Athon: ex cujus sinistra innumera profluebant Flumina, in dextra erat civitas. Ad quem Alexander. Quomodo istam tuam Civitatem alere poteris: cum agros non habeat. Cui Dinocrates: omnia abunde per mare suppeditant. Quapropter tum mari, tum terra fælicissimam, & beatissimam musarum alumnam judicabimus. Est præterea, ex toto orbe terrarum optio lectissimorum virorum facta: ad quos multitudinem discentium, tanquam, ad oraculum Apollinis & Sacrarium musarum concurrent & domicilium musarum constituent. Hæc hactenus ne videar panegiricum scribere; laudes hujus civitatis in aliud tempus differemus. De scientiis & disciplinis, & de origine earum postremo de laudibus, non orando complectar. Pictor vellet bellum trojanum in parva, & angusta tabella pingere non excursiones: non populationes non tumultus: non insidiationes: non insidias: non discordias principum sed tantum belli capita exprimere. Quadam frigida in dicendo timiditate correptus, totus perhorresco; totus contremisco. Nam cum reverendissimum antistitem, tot clarissimos doctores: tot disciplinarum lumi-

mina intueor : quidam vestræ claritatis, & quasi majestatis fulgor in me reflectitur, & minime queam aciem mentis firmam tenere : & vires ingenii mei exercere. Sed quemadmodum gladiatores, qui in medium prodierunt, certamen detrectare nequaquam possunt. Est, & illud Satyrici nostri : tecum prius ergo voluta hæc animante tuba : galeatum sero duelli penitet. Sic ego hoc dicendi munus a præsulibus gymnasii mihi injunctum nequeo deprecari. Jam scientiarum originem, & diligenter, & exacte perscrutemur &c.

Habita dicitur hæc Oratio Pisis, in principio Studii, Kal. Novembr.; at quonam potissimum Anno, in eodem Ms. desideratur.

Ex Historicis Italicarum Academiarum monumentis, quæ Typis mandata sunt, non elucet an alibi publice professus fuerit : sicuti neque Emortualis ejus Annus, ex Biographis aliisque, qui de eo loquuti sunt. Hunc tamen è vivis excessisse An. 1485., ex notulâ in margine appositâ, in Rotulo præd. Anni qui *Lib.* 4. *Reform.* asservatur, apparet.

De eo quoque, ex Originariæ Collensis Urbis monumentis, invitus edoceor, in *Johanne*, Seculi XVII., Jurisconsulto, extinctam ejus honestissimam Agnationem; ita enim se se habet recentior, e plu-

e pluribus Inscriptionibus in Ecclesiâ Collensi, *Vulgò la Canonica*, positis.

D. O. M.

„ *D. Joannes J. C. ultimus Familiæ de*
„ *Lippis, in qua extitit D. Laurentius Poeta Laureatus, Cappellaniam sub Tit. S. Jo. Baptistæ*
„ *ad Altare Crucifixi erigendam,*
„ *Hæredem instituit, onere Capellano*
„ *injuncto quolibet die Veneris, pro*
„ *se ipso; in die S. Jo. Bapt., seu*
„ *infra Octavam, cum Officio pro*
„ *omnibus defunctis, in utrisque diebus Missis quinque, Anniversf.*
„ 29. *Octobris, pro se ipso cum Missis quinque in perpetuum respective celebrandi. Reservato Jure*
„ *Patronatus D. D. de Bardis, &*
„ *Bertinis. R. D. Hippol. Bardius*
„ *Executor, assignatis pro fundo Juribus censuum cum Domo, & Horto, juxta ejus intentionem apponi*
„ *curavit. Anno Domini* 1633.

Superiores hi laudatissimi Viri complent florentissimam illam Professorum seriem, qui sub Auspiciis potissimum *Laurentii Medicis*, renascenti Pisanæ Academiæ suppetias tulerunt. Qui proxime, subsequutis Temporibus, decus addiderunt, alteri, quæ ferme in prompru est, Historicæ Narrationi, materiam æquè illustrem, suppeditabunt.